



INDEX DISPUTATIONUM

Theologicarum

sub Praesidio Leonb. Hutleri.

De Confessione Augustana

2 De unitate essentiae divi-
nae et personarum Trinitatis

3 De personarum in unadi-
vina essentia differentis
notis characteristicis ordine
et de generatione ac divi-
nitate filii Dei aeterna

4 De divinitate Spiritus Sancti
ejusque aeterna processione
a Patre et filio, et de Sa-
cramentis tam veteribus quam
recentioribus etc.

5 De peccato originali per
difficiliam scripturam polysemam
opposita.

6 De blasphemia in Spiritum
sanctum sive peccatum ad
mortem

7 De unione hypostatica du-
arum naturarum in Christo

8 De communicatione et
naturarum et eorum
Idiomatum in Christo

9 De officio Christi sacerdo-
tali et statu Summationis

10 De officio Christi re-
gio, et statu exalta-
tionis

11 De justificatione ho-
minis peccatoris coram
Deo

12 De efficacia ministerii
verbi et sacramentorum
Dei Ministeriorum Ecclē-
siae vocatione

13 De bonis operibus

14 De Ecclesia a. 7. 8. c. 11.

15 De sacramento ingere-
re 13 a. c. 4.

16 De Baptismo, c. 4.

17 De Coena Domini. 10

18 De Penitentia et
Confessione 11. 12

19 De Traditionibus hu-
manis in Ecclesia

20 De rebus civilibus
et potestate Ecclesi-
astica. 16 c. 17

21 De extremo pudore

22 De libero arbitrio

23 De causa peccati

24 De cultu sanctorum

25 Ex Jerem. Ecce agnus
illi Dei qui tollit peccata
mundi

26 De verbo Dei
scripto seu Scriptura

IN SACRA

DISPUTATIO V.

De

PROVIDEN-
TIA DEI.

De qua

Ejusdem Dei annuente provi-
dentia

SUB PRÆSIDIO

LEONHARTI HVTTERI,
SS. THEOLOGIAE

DOCTORIS:

Respondebit

M. IOHANNES KOLVVITSCHI-
us Vogelsbergensis.

Die 3. Julij, horis matutinis.



F E N Æ

Typis Tobia Steinmanni

ANNO MDLXCVI.





★★ ❁ ★★ ❁ ★★

AMPLISSIMIS, VIR-
TVTVM ORNAMENTO,
LL. scientia, rerumq; peritiâ excellen-
tissimis viris.

*Dn. JOHANNI STROMERO
Juniori*

ET

*Dn. CHRISTIANO STEINAC-
CERO, J. V. Doctoribus cla-
rissimis*

Dominis ac patronis suis omni observan-
tiæ studio honorandis

Ἡαυτῶν Θεολογῆματα

Dicat dedicatq;

M. Iohannes Kolovitschius.





De providentia DEI.
T H E S I S I.



ETSI DAVIDE TESTE, in corae suo dicit impius, non est providentia: quin & p̄j interdum, considerantes apparentem sortis filiorum lucis ac tenebrarum inaequalitatem, citra providentiam mundum regi suspicantur: evidentissima tamen Scripturarum testimonia eandem firmiter stabiliunt ac confirmant.

Psal. 14, 1.
Basil. in
Psal. 48.
Conc. 13.

2. Est autem providentia Dei actio efficax, qua Deus tum in genere res creatas omnes & singulas, pro beneplacito voluntatis suae sustentat & conservat: bonas hominum actiones mandando, juvando, perficiendo: malas vero prohibendo, detestando, puniendo, ad finem, sua gloria & Ecclesiae emolumento servientem, dirigit & gubernat: tum vero & in primis speciatim salvandorum salutem procurat & promovet.

3. Etsi vero providentia Dei ipsam praescientiam indissolubili nexu semper habet conjunctam: ab eadem tamen differt plurimum.

4. Praescientia enim Dei ad res futuras omnes, atq; a deo ad omnes omnium hominum voluntates & actiones, tam bonas, quam malas, se extendit. Hebr. 4. 13.

5. Consistit autem haec praescientia in nuda saltem ac simplici notitia, nullam plane rebus praescitis causam aut necessitatem inferens.

6. Non enim, ut praeclare Iustinus Martyr scribit; praescientia causa est eius quod futurum est: sed id, quod futurum, est causa praescientiae: Siquidem non praescientiam consequitur Futurum, sed Futurum consequitur praescientia: ἔκ τῆς προγνωστῆς αἰτίας ἔστι μέλλον ἔσσεσθαι, ἀλλὰ τὸ μέλλον ἔσσεσθαι, αἰτίον τῆς προγνωστῆς; ἔστι δὲ τῆς προγνωστῆς ἐπέλα τὸ μέλλον, ἀλλὰ τῷ μέλλοντι ἡ προγνωστῆς: Ἐξ δαμῶσ ὁ προγνωστῆς αἰτίας ἐστὶ ἔστι μέλλον ἔσσεσθαι.

lib. de vera
innocentia
Et lib. 3. de
libero arb.
cap. 4.

7. Neminem ergo, ut D. August. infert, ad peccandum cogit Deus, etsi praevidet eos, qui propria voluntate peccabunt: Sicut enim nemo memoria sua cogit fieri, quae futura sunt; & sicut homo quaedam, quae facit, meminit; nec tamen omnia, quae meminit, facit: Ita Deus omnia, quorum ipse autor est praescit, nec tamen omnium, quae praescit, ipse autor est: Quorum autem non est autor malus, justus est ultor.

8. Improperie autem & καὶ αἰθρωποπαθείαν saltem Psal. 90, 4. dicitur Deus praescire, nimirum respectu nostri: siquidem 2. Pet. 3, 8 ipsi omnem temporis rationem toto genere transcendentem, nihil est vel praeteritum, vel futurum; sed omnia praesentissima.

D. August.
de fide ad
Petrum:
cap. 33. &
34.

9. Apud Deum enim, uti iterum D. Augustinus habet, nihil praeterit, nihil futurum est: cum illo sunt jam omnia futura, & ei non detrahuntur jam praeterita: & quod in tempore novum est, non est novum apud Deum.

10. Etsi verò respectu praescientiae divinae, quae falli non potest, omnia dicuntur fieri necessitate consequentiae seu ἐξ ὑποθέσεως: minimè tamen tollitur contingentia; cum aliter etiam illa utpote naturam suam mutabilia, fieri potuissent, priusquam in actum ipsum, à Deo praevisum, perducuntur: id quod tamen Deus etiam praevidisset.

11. At Providentia Dei, non nuda saltem rerum notitia.

sitia, sed efficaci quoq; earundem cura, dispositione & ordinatione, licet diversimodè, quoad mala & bona, est definienda.

12. Ac primum quidem providentia divina vis elucet generatim, ex miranda huius universi, rerumq; in eo creaturarum omnium conservatione & gubernatione, qua Deus substantias conditas conservat, & vires quoq; ac motum agendi ipsdem, quousq; ipsi videtur, largitur & supeditat.

Rom. 11.
36.
Coloss. 1,
27.
Hebr. 1, 30

13. Etsi enim ex vi prime creationis, qualibet res creata peculiare suas obtinet vires, & agendi facultates; quas causas secundas appellare possumus.

14. Minimè tamen vel hæ absq; prima causa quicquam perficere, imò ne consistere quidem possunt: vel illa ad hæ ita alligata, ut sine ipsarum ministerio nihil quicquam in creaturis agere valeat; & sic ex perpetuo causarum secundarum sibi invicem subsequentiæ nexu, Factum Stoicum in natura dominetur.

15. Quin potius causa prima, Deus, adeò liberè causas secundas regit ac moderatur, ut interdum quidem & frequentius naturalem rebus creatis ordinem permittat & sequatur; interdum verò eundem vel impediatur; vel ultra constitutum aliqui modum promoveat; vel penitus etiam immutet.

16. Cujus rei exemplo esse potest, quòd Sol præter naturam ordinem, ad vocem Iosua sistitur; & ad preces Esaia ac Ezechia regis, decem gradibus retrocedit: quod aqua maris rubri & Jordanis, murorum instar, in altum exurgunt: quod flamma furni Babylonici, tres viros in eum coniectos, illasos fovet: quòd nec vestes, nec calcei Israelitarum totis illis 40. peregrinationis in deserto annis, haud sunt attriti: & quæ sunt huius generis consimilia alia per multa.

Ios. 10, 13.
2. Reg. 20
11. El. 38.
8. Exod.
14, 22
Ios. 3, 16.
Dan. 3, 50
& 94.
Devt. 29,
5.

17. Sub generalem providentia divina censum, rectè referri potest, brutorum etiam animantium miranda planè conservatio & sustentatio: quam Scriptura multis de-
pradicat. Psal. 104, 28. 147, 9. Job. 39. Matth. 6, 26.
10, 29.

18. Inprimis verò μικροκόσμος illius, Hominis nimium ortus, conceptio, natiuitas planè miraculosa: ut qua omnia unicè à Dei Optimi Maximi bonitate dependent.

19. Etsi enim in propagatione generis humani, coniugij medio, quod divina providentia est institutum, utitur Deus: tamen nisi Dei accederet cura & benedictio, tam illud foret infirmum & inefficax, ut brevi absoluta in mundo regnatura sterilitas, omnisq; humana species planè interitura esset.

Psal. 113, 9. 20. Hinc Psaltes fecundationem steriliū Deo in solidum adscribit: hinc sancti & pij omnes conceptionem, membrorumq; ex informi semine formationem, & vivificationem soli Deo acceptam referre solent. Job. 10, 8. & seqq. Psal. 139, 13. Ecclesiasta 11, 5.

Psal. 91, 11.
Ier. 10, 23.
Psal. 139, 1. & seqq.
Prov. 16, 1. 21. Nec conceptio modò & natiuitas, verum omnis etiam vita hominis, ita cura cordiq; est Deo patri, ut singulas vias vocationis ipsius, rerumq; successus omnes, linguam etiam regat, moderetur, gubernet: imò omnes adeò capillos capitis in numero habeat, ut ne unus ex illis, sine ipsius voluntate in terram delabatur.

22. Et si vel maximè interdum nonnulla casu quodam & fortuito accidere ac oboriri nobis videntur: tamen tam non ullum fortuiti respectum apud Deum illa obtinent; ut ipsemet disertè testetur se esse & non alium, qui faciat os hominis mutum, qui fabricetur surdum, cecum, videntem, imò qui sortes in sinum missas regat & temperet. Exod. 4, 11. Proverb. 16, 33. Tiren. Ierem. 3, 37.

23. Quis imò ita vitam hominum Pater ille Φιλόσοφος?

curat & gubernat, ut nulla vis hominum, ne Diabolorum quidem, imò nec sibi ipsi quisquam, nisi permitte eo, filium vitæ abrumpere queat: sed tam diu vivere homo necesse habeat, donec terminus à Deo præfixus finem suum fuerit sortitus. Job. 14, 5. Psal. 139, 16.

24. Neq; verò terminum hunc ex absoluto aliquo Dei decreto, quod inevitabilem & hora & generis mortis necessitatem inferat: sed partim ex præscientia Dei certa & infallibili: partim verò ex providentia, non quidem absolute considerata, sed respectu causarum secundarum, earumq; vel naturalium, vel voluntarium, vel forinsecus accedentium, definiendam esse statuimus.

25. Prout enim Deus ab æterno præscivit, quis & quando vel ex causis naturalibus, finis cuiusq; hominis vita sit futurus: vel quando ex causis voluntarijs aliquis sibi ipsi dies vitæ abbreviaturus: vel deniq; quando ex causis forinsecus accedentibus, per casus nimirum, respectu nostri fortuitos, vitam aliquis sit finiturus: ita etiam cui libet vitæ terminum præfinivit ac præscripsit, quem transgredi nequeat.

26. Etsi verò Deus, quoad primum causarum ordinem, plerumq; quidem & ut plurimum causis secundis naturalibus, tanquam primus rerum omnium motor, naturalem suum motum relinquit, ut turbat ἀρχαίαι humorum, & deficiente humido radicali unà cum calido nativo, homo extinguatur: ac proinde harum causarum intuitu vita terminum præfigit, quem transgredi nequit: interdum tamen eundem naturæ cursum vel promovet; ut cum pios ab impendentibus periculis quasi seducit: vel planè impedit ac suspendit, vitæ prorogando periodum ultra quàm ex causis naturalibus duratura alioqui fuisset: id quod exemplo regis Ezechie evadit manifestum.

Prov. 3, 2.
& 2. 4, 10.
Ier. 38, 5.

27. Verùm quoad intermedium ordinem, quicumq;

4 sibi

sibi ipsis vel malitia quadam & desperatione; vel ἀρπαγῆς
seu intemperantia stamen vita interrumpunt; vel etiam
ob externa scelera atq; flagitia supplicijs à magistratu af-
ficiuntur: ijs terminum hunc certè etiam Deus praefixit,
verùm non absoluto aliquo, omnesq; causas antegrediente
decreto: sed intuitu & respectu praecuntis impietatis & im-
pœnitentiæ: qui respectus pœna locum omninò obtinet.

28. Nisi enim huic impietati huiusmodi homines in-
dulsuri fuissent, utiq; Deus sine dubio alium ipsis vita con-
stituisset terminum, ac proinde diutiùs vixissent.

29. Quoad postremum ordinem, licet interdum no-
bis videatur vel per cades, casusq; alios nostri respectu for-
uitos, vel morte prematura quispiam tolli: tamen ne il-
lud quidem casui aut fortunæ respectu Dei ulla ratione ad-
scribi vel potest vel debet.

30. Etsi enim qui ita pereunt, itidem non absoluto
quodam & inevitabili decreto pereunt: Deus tamen respec-
tu diversitatis subjectorum sic pereuntium, eorumq; vel
piorum, vel impiorum, diversas etiam causas invenit, ob
Sap. 4, 10. & 11. Ies. 26, 20. Pl. 37, 20. & 38. Prov. 6, 15, 10, 27.
quas talia fieri permittit: pios quidem absq; gravioribus
morborum cruciatibus, ab eventuris malis subducendo:
impios verò iusto suo iudicio puniendo: & sic utrorumq;
tàm piorum quàm impiorum tragicis casibus ob oculos
quasi constitutis, praefractos ad pœnitentiam alliciendo.

31. Constat ex his vita humana terminum, respectu
providentiæ divinæ certum quidem fixumq; esse, sed non
fatalem: ac proinde neq; piarum precum pro consequenda
μακροβιότητι exercitia: neq; promissiones & comminatio-
nes de prolongatione & abbreviatione dierum: nec Me-
dicorum scientiam & professionem esse de nihilo: nec de-
niq; interitum impiorum, sceleratorum praesertim & ἀλο-
χέγων à Dei nutu & decreto simpliciter ac absolutè pen-
dere.

Porro

32. Porro providentia divina vis non circa hominum modò vitam, ejusdemq; & conservationem & destructionem: verùm etiam circa actiones humanas, easq; tam bonas quàm malas occupata esse, sacris in literis asseritur.

33. Neq; verò propterea rerum contingentia, & voluntatis humane libertas tollitur; & fatalis sive Stoica actionum omnium introducitur necessitas, & coactio.

34. Ut enim Providentia de Deo non propriè, sed ual' αὐτῶν πονάθειαν predicatur: siquidem non eminùs, & longo quasi antè tempore providet Deus aliquid futurum; sed omnia, qua nobis sunt futura, ipsi verè sunt presentissima.

35. Ita nulla planè inter Deum causam primam, & inferiores secundas fatalis est connexio, ut necessariò homines agant quod agunt, & aliter omninò agere nequeant: sed sicut voluntas hominis & initio libera est condita & adhuc hodiè libera est ac manet (alioqui enim voluntas amplius dicenda haud foret) ita quicquid agit, non coactè sed liberè agit & suscipit.

36. Interim tamen quia omne, quod homo liberè est acturus, ab aeterno Deus praevidit: idèò respectu visionis huius Dei infallibilis, necessariò illud fieri dicitur, necessitate videlicet ἐξ ἰσοθέου.

37. Non ergò idèò aliquid fit, quia Deus praevidit; sed quia alioqui futurum erat, idèò Deus praevidit: Quod si secùs futurum fuisset, id quoq; Deus praevidisset.

38. Nefas igitur fuerit, uti D. August. loquitur, Deo adscribere causas peccatorum: qui etsi ex aeterna scientia praecognitum habet, quid uniuscujusq; meritis retributurus sit, nemini tamen per hoc, quod falli non potest, aut necessitatem aut voluntatem intulit delinquendi.

39. Non enim, ut idem Augustinus scribit, continuo tu peccare cogeres, quem peccaturum esse praevideres: neq;

U s ipsa

Respons.
lib. 3. ad articulos falsò sibi impositos.

lib. 3. de lib. arb. cap. 4.

ipsa praevisio tua peccare eum cogeret, quamvis sine dubio peccaturus esset: non enim aliter id futurum praevideres.

40. Concurrit autem providentia Dei ad actiones hominum in genere consideratas, 1. sustentando naturam agentem: 2. motum sive agendi divina largiendo: 3. ad certum finem, gloriae suae, ac Ecclesiae utilitati servientem, dirigendo.

41. In specie vero bonas actiones hominum ita gubernat, ut ipsemet eas velit, praecipiat, operetur. Ioh. 15, 5. Phil. 2, 13. Malas autem actiones sive peccata, nec velit, nec praecipiat, nec perficiat, sed serio detestetur, prohibeat, puniat. Deut. 32, 19. Ps. 5, 5. Iezech. 18, 32. 1. Ioh. 2, 16.

42. Quamvis enim naturam agentem non modo sustentet, sed & motum largiatur Deus: siquidem Deo hasce vires subtrahente, non modo nihil agere, sed ne momento quidem subsistere homo posset.

43. Quin imò malas etiam actiones & peccata hominum non impedit: quae certè absoluta sua potentia impedire posset.

44. Ipsum tamen adhaerens viribus naturalibus vitium & avorsio, quae ab ipsa natura & motu agendi diligenter omnino est distinguenda, ne utiquam vult, decernit, aut probat: sed permittit. Ps. 81, 13. Act. 14, 16. Rom. 9, 22.

45. Neque verò otiosè tantum, sed efficaciter etiam permittit, limites videlicet, terminos ac crepidines ponendo, quas impij neque transgredi, neque ad alium etiam finem, quam à Deo praefixum, peccata sua perducere possint.

46. Pertinet huc poenarum omnium, tam temporalium quam aeternarum dispositio: in primis verò spiritualis illa reprobatio, induratio sive excacatio, quae Deus, ut iustus iudex, non quidem impertiendo malitiam, sed subtrahendo gratiam, antegressam inexpugnabilem impietatem in homine vindicat, ut sic à Deo desertus, libidinig. & postati

August.
Epist. 105.
ad Sixtum.

restiti Satana permissus, magis magis efficaciter induretur
& excacetur.

47. Tribuitur autem hac induratio seu reprobatio, qua partim Satana, partim verò hominis est propria, in superficie Scripturae ipsi Deo, non quod Deus, uti Sacramentarij blasphemio ore & calamo contendunt, ad declarandam suam justitiam, reprobatione quorundam hominum indignuerit: siquidem in lapsis Angelis abundè satis eam demonstravit.

Beza in
colloq.
Momp. fol.
525.
Calv. l. 3.
Inst. cap.
21. §. 7.

48. Sed quòd partim, suam subtrahente Deo gratiam & Spiritum Sanctum, sponte sua in continenti error, tenebrae, & peccata subindè graviora ingruunt: partim verò Deus ad judicia hac sua exequenda, Satana ministerio utitur, qui citra permissionem Dei, ne minimum quidem juris in hominem obtinet: partim deniq; quia Deus hanc indurationem, ad bonum aliquem finem determinat.

49. Et talis quidem generalis Dei est providentia, qualis hucusq; descripta: Sequitur specialis, qua in procuranda electorum salute potissimùm consistit, quam praedestinationem sive electionem salvandorum vocare solemus: de qua, cum brevi peculiaris instituenda sit συζητησις, de ea pluribus jam agere, haud attinet.

50. Vela ergò contrahimus, & primùm Epicuraorum *μολαιολογίαν* ac impietatem reijcimus & damnamus, qui omnia temerè & casu fortuito ferri nugati sunt.

Plinius lib.
2. cap. 7.

51. Damnamus etiam ac reijcimus Stoicorum deliria, qui omnia inevitabili quadam necessitate, ob fatalem connexionem ac dependentiam mutuam primae & secundarum causarum fieri, impiè commenti sunt.

52. His annumeramus blasphemiam Sacramentarium dogmata, contendentium protoplastos Dei providentia sic ordinante lapsos, & ad damnationis causam Dei ordinatione praedestinos esse: imò reprobationem

Calv. l. 3.
Inst. cap.
23. §. 8.

nem



Bez1. vol. 1. fol. 417.
P. Martyr
in cap. 9.
Rom. Pa-
rus Apol.
f. 45. & 47.
Reuneck
fol. 136.

*nem à Deo immediatè in homines exerceri, priusquam et-
iam de peccatis aut infidelitate ipsorum in mentem Deo
veniat.*

53. *Hec certè blasphemiarum portentia, uti mens pia
audire non sustinet, quin toto pectore exhorrescat & con-
tremisecat: ita Sacra litera disertè eadem abominantur.
Sap. 11, 25. Iezech. 18, 23. 33, 11. Hos. 13, 9.*

54. *Graviter etiam nos errare statuimus, qui provi-
dentia divina omnia regi audientes, causarum secunda-
rum, ac mediorum à Deo ordinatorum ministerio, in depel-
lendis periculis, vel propulsandis acerbis, uti nolunt.*

55. *Tandem ijs quoq; inter errantes locum minimè
infimum assignamus, qui guebrnationem rerum condita-
rum, ac regnorum potissimùm & imperiorum ἀκμὴν ἢ παρ-
ακμὴν, ex siderum positu, planetarum coniunctione, retro-
gradatione, vel aspectu alio aliquo dependere, non sine
ἀππῆσις τῆς διαβολῆς sibi imaginantur.*

56. *Esse enim aliquam cœlestibus corporibus in hac
inferiora efficaciam minimè denegamus: ut quòd Sol ac-
cessu suo calorem; Luna frigus & humores invehit & ad-
auget; Syrius æstum excitat, & quæ his sunt similia, quo-
rum utilitas partim in agricultura, partim in medicina,
partim deniq; in distinctione temporum consistit.*

57. *Predictiones tamen Astrologicas, quib. ex astrorū
situ, & erectione horoscopi fortunas hominum: mortē huius
vel illius principis aut regis prædicunt, aut etiam huic vel illi
regioni, civitati, oppido in specie quippiã, isti homines à spo-
Calstreres ominari solent; impias planè, & ex agro ac finib.
Reip. Christiana exterminandas esse, constanter asserimus.*

Ier. 10, 2.
Ps. 54, 23.
Gen. 22, 8

58. *Quare nihil à signis cœli, nihil à mundi huius,
ipsiusq; Satana insidijs, mali metuamus, sed in sola Dei pro-
videntia, tam adversis, quàm secundis rebus, omnem no-
stram in ipsum curam conijcientes, unicè acquiescamus:
Ipse providebit. A M E N.*





30



DISPUTATIO V.

De

PROVIDEN-

TIA DEI.

De qua

Ejusdem Dei annuente provis-
dencia

SVB PRÆSIDIO

NHARTI HVTTERI,

. THEOLOGIAE

DOCTORIS:

Respondebit

HANNES KOLVVITSCHI-
us Vogelsbergensis.

Die 3. Julij, horis matutinis.



F E N Æ

Typis Tobia Steinmanni

ANNO MDLXCVI.

